



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Titvlvs Vnicvs. De obligationibus hominis Morientis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

TRACTATUS IV.

De Statu Morientium.

TITVLVS VNICVS.

*De Obligationibus Hominis  
Christiani Morientis.*

ARTICVLVS PRIMVS,

*De diversitate Morientium.*

I.

**M**orientium diversitas primario desumitur à causis mortem inferentib<sup>9</sup>, quæ duplices sunt: aut enim sunt naturales & interne, & inde dicitur naturalis, aut sunt aternæ, & per violentam læsionem mortem inferunt, & inde dicitur mors violenta.

2. Rursus mors naturalis dupliciter contingit. Aut enim contingit ex pugna & dissolutione temperamenti, causata à qualitatibus elementaribus inter se pugnantibus, & temperamentum dissolventibus,

Y 5

unde

unde nascuntur febres & aliæ infirmitates mortem inferentes: aut contingit ex sola consumptione humidi radicalis, quo deficiente, & à calore naturali consumpto, mors eveniat necesse est, & hæc est mors senum, quæ vel citius vel tardius ex parte naturæ advenit, pro ut humidum naturale citius vel tardius consumitur. Mors etiam violenta dupliciter considerari potest: alia est enim simpliciter violenta, ut quæ gladio laqueo, igne sive combustione, aqua sive submersione, vel à bestijs, Dæmonibus inferitur. Alia est tantum violenta secundum quid, ut quæ inferitur à pestifero aere, veneno, cibis corruptis, talis mors etsi mediante infectione humorum fiat, & hoc modo naturalis dici posset, dicitur tamen violenta, quia non causatur ex naturali humorum & qualitatuum corporis pugna ordinaria, sed ab extrinseco per violentas impressiones.

3. Præter diversitatem morientium ex causis naturalibus & violentis, attendenda est diversitas penes causam primam, & dispositionem ejus, qui habet claves vitæ & mortis.

mortis. Hinc cur hic moriatur ad huc in ventre matris : alius vix egressus & fugens ubera matris : alius in pueritia : alius in virili ætate, alius in senectute magna : id non solis causis naturalib<sup>9</sup> sed dispositioni Dominatoris vite & mortis adscribendum est : hinc *Job. c. 14. Constituisti terminos ejus qui præteriri non poterunt.* Quare quamvis complexio naturalis, & conservatio corporis, à noxijs & externis causis & eventibus fortuitis, promittat longam vitam, nihilominus terminus vitæ non debet expectari ab illis, sed à dispositione Creatoris. *Job. 14. Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est.*

## Articulus Secundus.

*De obligationibus hominis Morientis.*

I. **H**ominis Christiani morientis tres potissimum obligationes sunt, nimirum ponderatio præsentis vitæ : purgatio accusantis conscientia, dispositio imminentiæ vitæ.

2. Ponderatio præsentis vitæ proprie consistit, in serio examine eorum omnium

quæ homo Christianus in vita sua gessit, ut perfecte se componat cum Deo, obtinendo peccatorum remissionem, procurando votorum, si quibus est adstrictus, satisfactionem vel dispensationem, adhibendo omnia quæ pertinent ad perfectam cum eo reconciliationem. Deinde cum proximo: restituendo ablata, deponendo omnem inimicitiam & rancorem, compensando, aut amovendo omnem læsionem aut injuriam. Demum cum se ipso: deponendo omnem malam voluntatem, auferendo omnem peccati occasionem, quietando omnem conscientiaë inquietudinem.

3. Purgatio accusantis conscientiaë, consistit in contritione, confessione, & delictorum satisfactione debita; hujus exemplum dedit: *Job. 10. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi, dimitte ergo me ut plangam paululum dolorem meum antequam vadam & non revertar, ad terram tenebrosam & opertam mortis coligine, terram miseriae & tenebrarum, ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat.* Hoc est speculum hominis ad mortem se disponentis,

nentis, ut tantisper se abducat ab omni turba, ut cum conscientia sua agat, & peccata sua plangat, in doloribus animæ suæ. Quod & in Ezechia accepto nuntio mortis & mandato, ut disponderet de domo sua *Isai* 38. clare speculamur: *Convertit (ait textus) faciem suam ad parietem, & oravit Dominum, & flevit fletu magno.* Ut autem scias quid tunc egerit audi dicentem: *De mane usq; ad vesperam finies me, quid ergo? Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba,* hæc sunt animæ ad mortem se præparantis exercitia.

4. Dispositio imminentis viæ postulat: ut moriens disponat de temporalibus: quæ debet deferere: de spiritualibus quæ in exitu debet pro viatico deferre: de salvo conductu, & secura contra hostes defensione.

## Articulus Tertius.

### *De dispositione imminentis Viæ in Morientibus.*

1. **D**ispositio morientis, si familiam vel domum gubernet, vel temporales possessiones habeat, consistit in testamen-

taria ordinatione: familiæ pacifica constitutione: sepulturæ electione. **U**t autem

quis condat justum testamentum requiritur.

1. Intentio pura: quæ est ut integra & sincera voluntate nemini velit obesse, sed pro salute animæ suæ de bonis suis disponere, ut reddat Domino suo qui in cælis est, & ad quem spiritus ejus redit, rationem villicationis suæ.

2. Ante omnia meminerit animæ suæ, ut ei ex bonis quæ relinquit, bene fiat, atque adeo provideat ut debita sua solvantur, aliena restituantur, si aliquibus pro mercede obligatus est, non remaneat eorum merces usque ad mane, sed quantocius solvatur.

3. Sacrificia, Eleemosinas, preces, pias fundationes pro animæ suæ refrigerio faciendas ordinet, ac pie & prudenter de illis ut efficaciter fiant, decernant.

4. Si hæredes habeat, qui jure succedunt, illis juste hæreditatem partiatur, idque claris terminis, ne verborum involucra, lites & processus inter illos causent.

5. Caveant ne aliquem exhæredet, aut præ  
aliis

aliis gravet, nisi iusta causa secundum leges appareat.

6. Inter consanguineos & alios ad eum pertinentes, habeat semper rationem paupertatis, necessitatis aut iustæ gratitudinis, ut illis qui magis indigent, vel qui creduntur melius usuri, liberalius donet.

7. Caveat ab ijs qui assistunt, ne ipsi propria cupiditate in se suosque, aut odio vel amore in alios ducti, ipsius benevolentem animum divertant, aliquos à legandorum participatione omnino removeant, alijs ultra rationabile bene fieri procurent, ex his enim testamenta sunt seminaria discordiarum, iniustitiarum principia & fomenta, animarum defunctorum probra, familiarum clades & ruinæ.

8. Caveat ab amicis volentibus impedire ne condat testamentum, pro quo malo evitando, consultius est, ut illud condat dum adhuc est sanus.

9. Provideat ut fideles executores habeat, qui ordinate, iuste & fideliter, omnia exequantur, ordinate quidem, ut quæ ad debitorum solutionem, alieni restitutionem,  
debi-



debitam operariorum mercedem pertinent, primo solvantur, quia illa sunt debita iustitiæ, quibus sub peccato defunctus obligabatur. Deinde ad ea quæ pro salute animæ in pias causas legata sunt, procedant: tandem ad heredes & alios qui hæredes sequuntur descendatur. Conditio tandem testamento & solemnitatibus juris servatis.

2. Moriens ante mortem tria potissimum circa familiam facere debet. 1. Tenetur illam pacificare: quæ pacificatio consistit in sua, cum familia, si quæ sit aut fuerit aliquando discordia, reconciliatione, in injuriarum & inobedientiarum si quid à prolibus aut familia aliquando passus fuerit, sincera condonatione, in omnium quæ semina forte discordiarum sunt & remanent efficaci ablatione. 2. Debet ad fidem in Deum & bonum exhortari familiam: Similes enim exhortationes multum tunc profunt filiis quia magis inhaerent, exemplo Tobia, David, Mathatæ & aliorum Patriarcharum. 3. Laudabile est si suis exemplum piæ mortis relinquat. Finem enim vitæ concludit mors exemplaris

plaris, quam conciliat pia vita, quies mentis, sacramentorum devota susceptio resignatio morientis.

## Articulus Quartus.

### *De eligenda Sepultura.*

1. **E**lectio Sepulturæ fuit omni tempore libera morienti, ita *Concil. Lateranens: sub Alexand: 3. de finivit ex Paschali 2. parte 43. Tit: de Sepulturis c. 1. Volumus* (inquit) *ac juxta Canonum sententiam nobis probabile videtur, ut sicut morienti conceditur rerum suarum judicium facere, quocunq; loco sibi placuerit, sic nimirum justum est, sui corporis licentiam habere, eligendi sepulturam, in quocunq; loco voluntas extiterit, sive in Monasterijs, sive in alijs locis.*

2. Sæpenumero ab antiquo fideles eligebant sepulturam apud Religiosos, aut etiam eis ibidem decernebatur, ob illorum orationes, ita *Concil. Triburiense sub formoso Papa c. 1. 5. de sepultura mortuorum. Expectet eum* (inquit) *terra sepultura sue, quo Canonorum aut Monachorum sive sancti*

*sancti*

sanctimonialium congregatio sancta communiter degit, ut eorum orationibus iudicis suo commendatus occurrat, & remissionem delictorum quam meritis non obtinet, eorum intercessionibus percipiat.

3. Ne tamen Ecclesiæ parochiales ex electione promiscua sepulturarum, in Ecclesijs sive cæmeterijs Religiosorum detrimentum nimium paterentur, summi Pontifices & Concilia certa jura taxarunt, quæ penderentur Ecclesiæ, de cujus jurisdictione corpora assumuntur, nimirum quartam funeralium. Quia vero de modis sepulturæ, funeris, ac ipsa quarta funerali, variæ disputationes in dies exurgebant. Pius V. ex motu proprio, qui incipit: ad hoc nos Deus. Dato Romæ 23. Septemb. An. 1571. Pontificatus anno 6. volens imponere finem omnibus litigijs decernit r. fratres posse quæcunq; corpora defunctorum, qui se in eorum Ecclesijs sepeliri ordinaverint, vel si à defunctorum heredibus, sive curam funeris habentibus vocati fuerint, ipsorum fratrum cruce elevata, etiam sine canonicorum nec non curatorum, vel aliorum presbyterorum

inter-

interuentu, ex ipsorum defunctorum domibus levare, eaq<sup>3</sup> accipere & associare, ac ad ipsorum fratrum Ecclesias directe deferre, & in eorum Ecclesijs, non tamen tempore interdicti, sepelire, salvo dumtaxat jure Parochiali, nec fratres ipsos ad alterius cujusvis contrariae consuetudinis usus, sive moris observationem teneri, vel super praemissis à quoquam quavis auctoritate molestari vel perturbari possint & debeant.

2. Ne esset quaestio de jure Parochiali: Quartam autem ( inquit ) funeralium quo ad domus, sive conventus & Monasteria. Ipsius ordinis, tempore dicti Concilij Tridentini ante 40. annos fundata & erecta & ratione illorum, ubi consuetudo illam solvendi tantum extitit, ac de cereis & alijs, qua deferuntur juxta Cadaver dum ad sepulturam deferretur, non autem de alijs quibusvis, eisdem fratribus sive monialibus aut eorum domibus, conventibus, Monasterijs, locis etiã pro funeris, sive anniversarij, aut missarum celebratione donatis, legatis sive alias quomodolibet largitis. Ubi duae quartae forsan solvi consueverint, una Parochiali Ecclesia, alia

alia

alia vero Episcopo aut collegiata Ecclesia, sive  
 Canonicis & Capitulo ejusdem, una tantum,  
 scilicet Episcopo: ubi vero consuetudo illam  
 solvendi non fuit, sive domus, Conventus &  
 Monasteria dictorum Fratrum & Monia-  
 lium post 40. annos erecta sive fundata fue-  
 rint, nequaquam nec ullo modo solvere seu  
 tradere: omnem aliam premissis consuetu-  
 dinem, sive morem harum serie cassantes &  
 extinguentes, ac omnibus & singulis quorum  
 interest perpetuum silentium imponentes.

Quod spectat ad funus & officia divina  
 se positis pactis singularibus, varia resolu-  
 tiones à S. Congregatione emanarunt, qua-  
 rum hic duæ subjiciuntur, coram Camera  
 Apostolicæ Generali auditore 1640. die  
 6. Junij verificatæ.

1. Prima est de die 27. Novembris 1638.  
 sequentis tenoris. *Sacra rituum congre-  
 gatio juxta alias resoluta respondit: officium  
 super Cadaveribus in Ecclesijs Regularium,  
 spectare & pertinere ad ipsos Regulares, non  
 autem ad Curatos defunctorum, & ita im-  
 posterum servari mandavit, non obstante  
 contraria consuetudine.*

Secun-

Secunda est de die 14. Januarij 1639. tenoris sequentis: S. Congregatio Cardinalium negotijs Episcoporum & Regularium preposita censuit, defunctorum cadavera sepelienda, ab adibus defunctorum ad eorundem Fratrum Ecclesias recto tramite deferri posse, monito tamen & requisito & expectato proprio defunctorum Parocho, à quo benedictionem & ultimum vale recipere possint: quo venire expresse recusante, possint iidem fratres, etiam ipso invito cadavera ad suas Ecclesias transportare: consanguinei vero talium defunctorum illis parentare, in Parochialibus & alijs presbyterorum Ecclesijs, compelli nullo modo possint. Si quæ vero immemorabilis consuetudo in contrarium super premissis existere pretendatur, legitime probetur, & interim præsens decretum ad unguem servetur, pro ut eadem S. Congregatio servari mandavit Romæ 14. Januarij 1639.

## Articulus Quintus.

*De Necessarijs homini Morienti pro via.*

I. **T**ria sunt homini in via ad patriam necessaria: Secura mens per Sacramenta

menta

menta penitentiae & Eucharistiae praeparata, in quibus consistit fortitudo & sanitas animae: Baculus fiduciae in Deum & Christi merita, ex ligno crucis confectus, cui innititur, cum lagenula appensa pretiosi sanguinis eius ad refrigerium sitis: Demum opera bona, specialiter opera misericordiae tam corporalia quam spiritualia, & quaecunque meritoria, quae animae sunt pro viatici pecunia, qua velut in sacculis pauperum abscondita, confidenter in Deum fide, spe & amore moriens tendit.

2. Porro contra Dæmones qui in illa hora viam tanquam praedones obsident, utendum est salutari comitiva, & armis spiritualibus, & quidem comites adjungendi sunt, Deipara Virgo, Angelus Custos & Sancti, quos singulariter in vita coluimus, vel quos in hora mortis in Patrocinium ferventi affectu invocabimus. Pro spiritualibus autem armis extremae unctionis armatura accipienda est, de quo sacramento hic nonnulla breviter declaranda sunt.

Sacra-

Sacramentum unctionis extreme, sic ex Doctore subtili & alijs in 4. dist. 23. describi potest: Unctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis corporis partibus, cum oleo ab Episcopo consecrato, à Sacerdote verba certa cum debita intentione proferente, ex institutione divina efficaciter significante gratiam, contra peccati reliquias, & ad sanitatem corporalem, si expediat recuperandam.

3. Materia remota hujus Sacramenti est oleum olivarum, ab Episcopo consecratum sive benedictum, quod & oleum infirmorum dicitur, ut distinguatur contra Chrisma, quo ungitur Baptizati vertex, & quo Episcopi in sacris unctionibus passim utuntur. Materia vero proxima est ipsa unctio, in certis locis corporis per modum crucis facta. In quibus autem membris fieri debeat, de hoc universalis Doctrina extat, nimirum: quod in quinque saltem corporis membris, ubi sensus maxime vigent, fieri debeat juxta explicationem Concilij Florentini in instructione Armenorū: ubi sic: in oculis, propter visum; in au-

in au-



in auribus, propter auditum; in naribus propter odoratum; in ore, propter gustum; in manibus, propter tactum; in pedibus, propter gressum: addit & renes: in renibus (inquit) propter delectationem ibi vigentem: alij etiam addiderunt pectus. Verum credendum est non omnes istas unctiones fuisse necessarias: & modo quidem usu sublata est unctio in renibus & in pectore, quæ necessariæ esse non judicantur, & honestati saltem in fæminis consulitur.

4. Forma Sacramenti extremæ unctionis est juxta Rituale Romanum ab antiquo: per istam sanctam unctionem & suam pijsimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti, quæ ad singulos sensus, nominato sensu in singulis unctionibus repetitur ita Concil. Florent: supra.

5. Effectus vero primarius Extremæ unctionis est, gratia sanctificans ad remissionem peccatorum, si quæ remaneant, & corroborationem animæ in hoc ultimo cum damone conflictu ordinata. Ita docet & extendit Concil. Trident: sess: 14. in doctrina

doctrina de Sacramento Extremæ unctionis.  
 Cap. 2. explicans verba scripture Jacob. 5.  
 Res porro (inquit) & effectus hujus Sacra-  
 menti illis verbis explicatur: & oratio fidei  
 salvabit infirmum & alleviabit eum Domi-  
 nus & si in peccatis sit, dimittentur ei. Quæ  
 explicat ut sequitur: Res etenim hæc, gratia  
 est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si  
 quæ sint adhuc expianda, ac peccati reli-  
 quias abstergit; & egroti animam alleviat,  
 magnam in eo divina misericordie fiduciam  
 excitando: qua infirmus sublevatur & morbi  
 incommoda levius fert, & tentationibus Dæ-  
 monis calcaneo insidiantis, facilius resistit  
 & ea.

6. Effectus secundarius Sacramenti  
 Extremæ unctionis est sanitas corporalis,  
 si interdum expediat. Ita Concil: Trident:  
 supr: c. 2. Et sanitatem (ait) corporis inter-  
 dum ubi salutis animæ expedierit homo con-  
 sequitur. Sicut etiam experientia ipsa te-  
 statur.

7. Porro sex conditiones in suscipien-  
 te extremam unctionem requiruntur.

1. Ut sit infirmus, neque enim homini non

Z

infirm-

infirmo V. G. supplicio vel violenta morte  
afficiendo dari potest.

2. Debet esse graviter infirmus ita ut de  
vita periclitari iudicetur, non est tamen  
expectandum, donec moriens sensibus  
destituatur sed melius est adhuc pleno ju-  
dicio pollenti extremam unctionem ad-  
ministrare.

3. Debet esse Baptizatus, quia Baptismus  
est janua Sacramentorum.

4. Debet fuisse compos mentis: amen-  
tibus enim & furiosis non potest dari ex-  
trema unctio: potest tamen & congrue  
datur ijs, qui ex vi morbi in delirium ca-  
dunt quia censentur illius capaces, & si qui-  
dem piæ vitæ fuerint, censentur illam de-  
siderare.

5. Requiritur ut si ratione adhuc utatur,  
Extremam unctionem petat, nemini e-  
nim probabiliter invito, administranda est.

6. Requiritur, ut saltem in actuali volun-  
tate peccandi mortaliter, non esse iudice-  
tur, qui enim in actuali voluntate peccandi  
esset, ratione obicis quem Sacramenti gra-  
tiæ ponit, mortaliter peccaret & etiam Sa-

cerdos

cerdos sciens & videns illi administrans.

8. Potest denique Extrema unctio in eodem homine reiterari, sed non in eodem morbo. Quia sæpius diversis temporibus homo per infirmitates varias in periculum mortis devenire potest, & in morte armis illis spiritualibus indiget, nec Extrema unctio characterem vel aliud imprimit, ratione cujus initerabilis esset. Dicitur (*non tamen in eodem morbo*) quia unum morbo, cum ad periculum mortis tendit sufficit una armatura, & gratia quæ in Sacramento Extreme unctio datur, ratione totius hujus morbi datur, ut etiam adveniente morte, homo illius virtute illam constanterque subeat.

**F I N I S.**

